





1684

- 1^o Albinus, Bernhardus: De Thee.
2. Beermannus, Jo. Christoph: De turamentis vulgi
3. Beermannus, Joh. Christophorus: De prerogativa
4. Beermannus, Joh. Christoph: Laudes regales, ad
illustrandam acclamandi formulam: Vivat.
5. Rhodius, Marcus: De legatis, fideicommissis, et
juri codicillorum
6. Rhode, Marcus: De jure litem suam faciente
- 7^o Schöpffer, Joh. Tractatus: De litterarum acceptatione
2 Sump. 1684 & 1735
- 8^o Schöpffer, Johann Tractatus: De cessatione legis Ansta-
Lienae. 2 Sump. 1684 & 1717
9. Schulze, Petrus: De eo, quod justum est per consequen-
tiam.

1684

10. Schultze, Petrus: De causa debendi
11. Schultze, Petrus: De tacita renunciatione juris
quæsiti
- 12^{a. b.} Schultze, Petrus: De foemina mercatrice.
13. Schultze, Petrus: De rerum communiõne
14. Schultze, Petrus: De conditione juris iurandi.
- 15^{a. b.} Schultze, Petrus: De feudo gratiæ Germ. Magna. Litu.
16. Schultze, Petrus: De obligatione vasalli erga
curiam.

la.



657
10. Schütz, Peter: De canone Petri
11. Schütz, Peter: De sancta communicatione per
quatuor
12. Schütz, Peter: De primatu papae
13. Schütz, Peter: De rebus communibus
14. Schütz, Peter: De constitutione peris peris
15. Schütz, Peter: De rebus peris peris
16. Schütz, Peter: De rebus peris peris
17. Schütz, Peter: De rebus peris peris



DISSERTATIO
DE

1684, 1a
J.
1
THEE,

Quam

Gratiosæ Facultatis Medicinæ

Consensu,

IN ILLUSTRIVIADRINA
PRÆSIDE

DN. BERNHARDO ALBINO,

PHILOSOPH. ET MEDICINÆ DOCTORE,

hujusq; PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,

ac FACULTATIS MEDICINÆ

p. t. DECANO,

PATRONO, FAUTORE AC PRÆCEPTORE

SUO ÆTATEM COLENDO,

Ad DIEM XI. JULII ANNI MDCLXXXIV.

Horis locoq; solitis

Publico Examine exhibebit

A. & R.

JOHANNES MELCHIOR *Benge/*

Francof. Marchicus.

Francofurti ad Oderam,

Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

KOEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.



I. N. F.

Multiformis animalium partus intuitu, varie foeminis cujusque generis mares aut vi aut voluptate miscente, vulgatum Græciæ, Africam semper aliquid novi afferre, suum fecit Roma; Si quid enim priori ævo incognitum in devictâ provinciâ fuisset, tanquam rem spectatissimam novo invento unâ Romam afferri, quo splendor foret triumphi pompa, compertum est. Horriga speluncis exigebat monstra triumphantium fastus, ut quod miraretur haberet Roma, Populoque exhiberent, quas devicerint gentes; & hi omnes erant quos inde capiebant fructus; unde Aurelium Cæsarem talia statim privatis donasse, ne fiscum annonis gravaret, legimus. Clariores longè fuere Vespasianus & Pompejus Magnus, quorum ille primus Romæ Balsamum arborem, hic Ebenum in triumpho Mithridatico ostenderunt, Plinio teste, quorum novitatem cum gratiâ commendabat utilitas, Periere jamdudum cum dominatu Romæ

triumphi triumphantiumque fastus, & fidem vix invenit, cum plerumque triduum, nonnunquam dies integros & totas noctes in apparatu pompæ tributos legimus, sola enim si excipias nomina restat omninò nihil. Solidiores longè sunt, quos de toto Orbe moderna Europa agit triumphos, quos utile ad vitam commodum, inæstimabilis ad sanitatem necessitas, perennes esse jubent. Quò magis Nuces moscatae cum floribus macis, Caryophylli, Zingiber, Piper, vel sanitatem nostram tuentur, vel gulæ blandiuntur, tantò magis vel devictas, vel in ordinem redactas, Bandanas, Moluccas, Bengalam, Malabar, Javam, Sandam, Cudam, terras gaudemus. Cum Moschus & Ambra Ivave spirando recreant cor, de Boutan, Bengala & Pegu tacitè exultando triumphamus. Cum Bezoar domat febres, orientem cum occidente; cum Ballamum faucia demulcet vulnera, Peru; cum foedis succurrit ægritudinibus Gvajacum; insulas Sanctorum Johannis & Dominici nobis supplicare lætamur. Certatim Camphoram Borneo, Aloen Zocotora, Santalum Timor & Malacca, Sassafras Virginia, Cassiofistulam Caribes nobis offerunt tributa dicam an munera. Quoties Tabacum fumando tædia temporis fallimus, toties id Brasiliæ debere meminimus Cum Soccoladam

ladam sorbillamus, Hispaniæ novæ recordamur, deq; iis ceu totidem spoliis nobis gradulamur. Egerit Roma ab Urbe condita ad Vespasianum viginti supra trecentos triumphos, plures ex Samnitibus triumphos penè quàm annos notet Livius, quis illos Europæ semper augustæ, semper triumphantis, æquiparabit? Tot meritò rerum æstimamus pretia, & vix tamen pro merito, universæ mihi placent, placent singulæ. Quam igitur Dissertationi Academicæ destinarem dubius hæsi, inter velle & nolle anceps fui quid agerem, commode tandem subiit Theam in ore esse omnium, atq; præ reliquis omnibus quasi apricari, cum eam universa sorbillet Europa. Post tot Homeros quidem iliada scripturus videbor, sed & quandoque anser interstrepit olores. Igitur eam, quæ hæctenus magnam gratiam saccharo acceptum tulit, sale conditurus, quid ferant humeri periclitabor.

THESIS I.

Mittuntur ex Oriente lagenæ contortuplicatis refertæ foliis quæ à Chinesibus Thee, Japonensibus verò T'chia appellantur, ut historiæ Sinicæ scriptores produnt. Coctione ex iisdem parant Cia, potum temperatâ quâdam amaritudine, palato gratum, de cuius antiquitate, quod in vetustis Sinarum codicibus illius hieroglyphicus non reperitur character, ut ut dubitet Nic. Trigaut. de Regn. Chin.

cap. 3. ejus tamen tanta est celebritas in iis oris, ut ea hospites amicos visuri invitentur iterum iterumque, conviviorum solennia id Cia sorbillando inchoentur, magnates, ut ut in coeteris parcissimæ sint supellectilis, insuperbo instrumentorum famulorumque apparatu immensè luxuriant, ut illa aliquot aureorum millibus redempta intimis solummodo ostendant amicis. Salubritati hoc adscribunt æstimium. Ultimæ senectutis amor, quam huic potui acceptam ferunt sorbillatores, illam Europæ innotescere fecit, ubi variam experta sortem, dubia fortuna passim conflictata, jam caput extulit, jam proscripita genuit, nimio laudis vel vituperii studio. Qvi primi apportarunt encomiis contenti accuratori supersedere inquisitioni, quorum incuriam curiosa botanicorum industria doluit, dubia an herbarum, an fruticum, an suffruticum accensenda generi. Radicibus fibrosis ac in minimas particulas dispersis, foliis oblongis, acuminatis, in ambitu crenatis, herbam ait N. Tulpius *Obs. Med. l. 4. c. 59.* significantius loquitur Jac. Bontius de medicina Indorum *l. 2. de Cons. Valetud. dial. 6.* qui & herbulam dicit, & bellidis seu consolidæ minoris folia referre addit. Fruticem dicit Trigautius *l. c.* Arbusculam verò Myrto similimam Alexander Rhodius. In bivio stantes, quo se verterent nescii, verosimilibus tamen contenti esse debebant. Dubium id indubium reddidit Jac. Breynius *Cent. I. exot. Plantar. C. 52.* Quo cum hætenus nemo Thee descriptionem & Iconem dederit magis accuratam, nec liber ille in omnium versetur manibus, agrè non feret Cl. Autor, si cum Icone descriptionem ex ipso mutuemus, dicit igitur. *Thee compluribus & densis ramis frutex est; Foliis obscure viridibus, per circuitum serratis, non tam Chamaeleagni, quam spirea Teophrasti, substantia & toto habitu aequalibus, saporis exsiccantis cum quadam amaritudine: Flores proferens (quantum ex pictura, & duobus at imperfectas ex*
Sapo-

DE THEE

7
Japonia transmissis flosculis conjicere potui) Cisti foemina &
 gossipii mediam faciem obtinentes, uberrimos quinis foliolis
 albicantibus aut pallidis constantes, staminulis multis medi-
 um florem occupantibus. His demum succedunt fructus dum
 adhuc vigent (ut ferunt) virides, resiccati autem cortice
 magis rugoso, exspadiceo fusco vestiti: in quibus non minus
 quam in Coccis orientalibus, mirabili varietate mutabilis lu-
 dit Vertumus. Quidam enim penitus globosi instar dicto-
 rum coccorum, eadem etiam magnitudine, aut dulcopene aliquan-
 do sunt majores, semen tantum unicum continent: alii con-
 tra geminati, sive in duos loculos ceu serotum caninum dis-
 pertiti: alii vero trigoni, formam & magnitudine, a fructu Ri-
 cino simili, Johannis Baubini, non admodum ablucentes; hi
 maturi ubi se aperiunt, in tres; illi in duas, dehiscunt partes,
 quarum qualibet semen continet: quod vel orbicularis planè, ad
 Stiracis; vel quia munus splendet, ad fructum exoticum XV. à
 Jacobo Gareto acceptum, Clusii, propius accedens, vel in una
 parte sessilis, nonnunquam etiam triquetra est nucula, tenui
 putamine & levi, spadicei sive subrusi coloris, excepta basi
 (qua parte adhesit) albida, constans; quo nucleus subalbidus,
 pallidusve, ac valde (fortasse quod à Japonensibus, stimulantem
 invidiam, aqua decoctus, ne apud exteros quoque plantetur; vel
 vetustate corruptus, vel ante maturitatem lectus; vel in lon-
 gino itinere, continuo ardore solis, nimium exsiccatus) ru-
 gosus, gustu primum dulci, postmodum amaro & nauseabun-
 do, tandemque calido & valde exsiccante, cuticula tenui cine-
 rea obductus, continetur. & postea: Icon, quam damus, maxi-
 mam partem ad figuram Excellentissimi Domini Guilhelmi ten
 Rhine Medici, Botanici & Chymici Magni Imperatoris Japo-
 nie, manu artificiosissimam ad vivum coloribus expressam, confe-
 da; quam cum fructibus ILLUSTRISSIMO DOMINO
 HIERONYMO à BEVERNINGK ex Insulam Decimam Anno
 MDC LXXV. transmisit: Qui eadem mihi, curioso Lectori
 hic

hic representandam, cum fructibus seminibusque multis, ex singulari favore, gratiosissime concessit.

THESIS II.

Miram videre liceat authorum *Thee* describentium discrepantiam, aliis concisa brevitate peccantibus; defectus ex ingenio suppleantibus aliis; licet utrique videri velint, vel autopsiæ, vel fide dignæ relationis prætextu se veritati litare. Liceret & mihi ex tot voluminibus ad speciem concinnam ejus exhibere iconem, multæ lectionis famam aucupaturus, si magis ingeniosâ verisimilitudine, quàm simplici veritate mihi placerem. A quo cum longissimè absim, illam iisdem verbis, quibus Wilhelmus ten Rhyne, Magni Imperatoris Japoniæ quondam Medicus, jam verò Med. & Anat. Profess. Bataviæ, commentatur, exhibebo: *Semen Fruticis Thee circa mensem Februarium terra (ni nimio indurata gelu vel nive altius tecta sit) mandant Japones sequenti methodo; In terrâ bonâ. dulci, non salsâ, neque limosâ neque arenosâ nimis, sed temperata, rotundam ad octo aut paulo minus pollicum latitudinem scrobem effodiunt, cui 40. à 50. seminales folliculos confertim injiciunt, exinde scrobem operientes, eademque, inhorrescente brumâ, stramineis stercis tegentes. Hæc autem 40. à 50. seminalia capitula communiter in 6, 8, 10. à 14. quandoque plures, quandoque pauciores, frutices propullulant, quos natura suoq; ingenio relinquunt agricola, nullo secus cultura adhibito artificio, (hic enim de vulgari hujus fruticis plantatione sermo est) nisi quod plerique infelix lolium & inutiles herbas evellant circa stirpes; quæ quo in spissius glomeramen altioremq; apicem (rarius tamen supra 4. à 5. pedes) exsurgunt, eo meliores judicantur, mollioribus utpote magis benignis foliis, quæ rareriter intra primum triennium decerpunt Japones; decerpunt autem plerumque mense suo tertio, qui ordinario juxta nostrum Aprilem est, non-*

nun-

nunquam ad usq̄ medium Maji procurrit, (differentia autem ratio ab intercalari anno, quodis triennio hic recurrente, tredecimq̄ mensibus indiscriminatim, ad institutum Pontif. Max. Dairi, metito provenit; ut alibi latius) quando matres cum suis infantibus & ancillis foliola hæc calathis colligunt: Hi quippe frutices sub initium veris recentes ramulos novellaq̄ folia emittunt; illa autem novitia (subflafescente suo virore & parvitate à veteribus foliis facillime distinguenda) cum parum adoleverint sicca tempestate, quacunque diei hora, tum autem imprimis intensiore solis astu, avellunt, avulsa circa vesperam portant domum, quandoq̄ sibi eadem preparantes, quandoq̄ aliis, qui ea propter data opera eo concedunt vendunt. Cõemptores autem illi singula folia fusa ex ferro patella sinica, nitida, candendi atque oblique collocata (ne manus comburant) injectant, eademq̄ assiduo manibus convertunt, usque dum flacesserint, mundis tunc storeis papyrove imponenda ac perflanda flabello, ut frigescant, hinc in planis, ex arundine indica confectis, corbibus conteruntur, donec compacte crispentur: hinc iterum in purâ & modice candefacta patella, uti antea, manibus continuo versantur reversanturq̄, donec mediocriter induruerint: Exinde patella exenta flabroq̄, frigefacta folia in tertia & quarta patellis, per gradus minus calefactis, revolvunt, ut majorem siccitatem duritiemq̄ contrahant: Tandem ollis intrinsecè vitreatis bene clausa servant, & in urbes pagosve venalia transferunt: Postquam autem per sextiduum circiter ollis referata fuere, easdem aperiunt, foliorumq̄ delectum, minora & teneriora à majoribus & durioribus separando, faciunt, ultimaque vice in quinta patella, securitatis ergo, siccant in annos tunc durabilia si accurrate obturata teneantur. His examinibus veritate comprobatis sequentia supplemento inserviant. Enim vero non levis est culture ac preparationis differentia; quem etenim agricola suo linqunt genio fruticem, solo eradicato Zizanio, ne suffocetur,

B

hunc

hunc summa cura studioque colunt illi, qui ex professo pro Magnatibus ac opulentis quibusdam civibus T'chia accurant & legunt: Ita prope Miako Urbem locus est Ousi appellatus, totius Japoniae in hoc opere princeps, ubi pro Imperatore, Regibus Majorumque gentium Dynastis T'chia colitur preparaturque; ubi excultissima terra concredit: frutices à nimia pluvia vel intenso ardore frigoreve, caeterisque aëris injuriis, ac pravis purgamentis, volatilibus reptilibusque insectis, studiose praeveniuntur, justo rigantur tempore, ac reliqua circumspèctæ cultura adminicula iisdem adhibentur: Ubi congrua tempestate scrupulosa foliorum fit electio: tenerrimi fruticum ramusculi primævis in apice foliis nudantur, quæ eapropter carissima potentioribus reservantur emptoribus; hæc autem à mediocribus, hæc iterum à majusculis hornotinis tamen singulis, segregantur. Ruricula verò sine discrimine, quævis, horna nihilominus, folia mixtim colligunt, collecta soli exponunt, (ante dicti in umbra siccant) manibus comprimunt, terunt, fricant, & in argillaceis patellis, si careant ferreis, supra relata methodo ac ordine super ignem torrent, donec exsiccata ac indurata crispentur. Hæc autem, nisi coemptoribus divenderint, (hi enim in varias species eadem dividunt) promiscue in aneo cacabo aqua repleto, lento coquunt igne, & sic toto die pro communipotui in foco suspensum servant; donec iteratis tincturis folia illa debilitata rejiciantur, ingestis protinus novis. Primates autem & locupletiores cives quidam nullum in re domestica opus majore diligentia, fastu, nitore atque artificio (quippe in peculiarem jam pene artem illis conversa est T'chia dispensatio) curant, quam sui T'chia preparationem; Quandoquidem qui in caeteris parcissima sunt supellectilis, copioso ac superbo instrumentorum famulorumque apparatu impense, immo ad superstitionem usque, gestiunt. Instrumenta autem (quæ in Magnatum edibus ac spectatioribus quibusdam diversoriis ad pompam prostituuntur) sunt hæc; Ex electo ophitide

con-

conflata molâ (quali nostrates semen sinapi conterunt) quâ suum T'chia intenuem pollinem commolunt: præterea fornacula, ex mixtò cum aliis metallis arte artificiose fusa, cui aqua plenam cucumam, ex eadem materiâ confectam, superponunt, ut semper præsto sit lymphæ fervens: Hinc exiguis cochlearibus (ex testudineo cornu aliòve pretioso ligno vel etiam metallis fabricatis) viridem illum ac bene fragrantem pulvèrem T'chia calicibus suis (qui deformi formositate illis placent; quo enim magis distorti ac inæquales sunt, eo meliores censentur, ex vicinâ autem Corea in Japoniam deferuntur, qui cum propter loci distantiam, tum ob argillæ raritatem, magno constant, majore, si simul vetusti) infundunt, ac superfusa cum mundato haustro infundibulo aqua fervida pulverem hunc minutulis, ex arundine indica crenarum forma artificiose concisis, setis tam diu quassant, donec in spumam potio illa elevetur. Porro famulos nutritunt ditiores incola, alios qui T'chia decoquunt, alios qui calices amicis hospitibus deferunt, bene vestiti nitideque comiti; quod in Primorum Oeconomia peculiare munus est; ubi decoctor T'chia veluti Doctor Medicus gentilitio ritu, detonsa plane coma, à reliquis discernitur. Sinenses autem (quorum methodum nostrates sequuntur) fervefactam in cupreo cacabo aquam siccis integrisque foliis Thee, singulari olla prius injectis superfundunt, tincturamque extrahunt, quam limpida aqua ad gratam amaritudinem temperatam calide sorbent, scharumque ut plurimum una masticant, uti & nostrates, rarius autem Japonæ, tametsi $\chi\lambda\upsilon\kappa\upsilon\phi\iota\lambda\epsilon\iota$: Hæc secunda vice repetita tinctura (minus tamen efficaci, cum præstantiores, seu volatiliores partes prima tinctura, maximam partem extractæ sint, vel in auras abierint) etiamnum valet, quâ absolutâ rejiciuntur ut plurimum folia, quæ mare vastum peragranti- bus, addito sale oleo ac aceto, accetariorum vices, melioris defectu supplere possunt: Japonæ autem iisdem foliis rubentes

papulas ac cutanea sudamia curant, atque in tinctoria arte eadem (vestua licet) usurpant Mauri. Fruticis hujus natale solum varium est in Japoniâ, uti indiariò meò ad metropolim Fedo speciatim recensui; plurimus tamen in regione Fisien crescit: Humo gaudet neque arenosa neque lutosa nimis, neq; declivi neq; acclivi nimis, aprica & temperata planitie latior: Multis autem in locis inter ipsa frumenta in pulvillorum liris (in pulvillos enim disspescunt agros suos Japones, ut tanto commodius stercorare, ac inutile gramen decerpere queant, tum ut stagnans, in liris aqua, frumenti radices vicissim blandiusq; alat) frutices Thee consitos intuearis. De pretio certi nihil determinari potest, incredibiliter enim variat, illud saltem in genere verum est, pro foliorum magnitudine pretium augeri vel minui, quantum namque magnitudine sursum decrescunt, tantum pretio accrescunt, ut apposite animadvertit Excellentissim9 Piso: Præcipua quippe foliorum differentia est inter majuscula, hœna tamen minora ac minima, recentia ac vetusta, dura ac mollia. Singulares autem sunt in Miako emporio mercatores, quorũ jussu ac sumptu pro Magnatib9 folia hæc colliguntur: ac eliguntur; Ubi propriũ habet Tchia mercatorẽ Imperator, alios habent reliqui Reges & Dynasta. Ab exteris vero tantũ exigunt furunculi Japones, quantum redimere valent: Tanta etenim est pretii discrepantia, ut una libra hujus Tchia pluris nonnunquam veneat quàm centum libra alterius: Namque sunt quædam folia dura, quæ non potui, sed tinctoria arti serviunt. Foliorum vero bonitas in grata fragrantia (proxime autem ad fœni recentis odorem, tantisper aromaticum, accedit) colore viridi (nam parum masticata frictaque ubi fuerint, viror vividus emicare debet) sapore subamarè dulci. Vires autem hæc tribuunt decoctioni Thee Sinenses, quas ex eorum scriptis excerptas translatasq; parum à me immutatas & ubi necesse auctas parum, minime tanquam infallibiles, propino: Consulat experientia fidem lector, & si singulos effectus non comprobet, nun-

nunquam saltem, modo crumena non doleat, frequentioris usus pœnitebit: Sanguinem igitur purificat, horrenda pellit insomnia, vapores à cerebro arcet malignos, vertiginem, capitisq; dolorem (præsertim à crapulâ ortum,) mitigat, hydropicis conducit, egregie enim diuretica est; capitis rheumata exsiccat, humorum acrimoniam corrigit, obstructions viscerum tollit, visum instaurat; quippe, quantum ego existimo, hæc decoctio Thia primarium Japonibus est antidoton contra visus imbecillitatem ac oculorum vitia, illis frequentissima, ac ex assiduo orizæ calidæ & sui sacqvæ potu, & usu (de quibus aliàs prolixius) maximè contracta: adustos humores temperat, calidum emendat jecur, induratum lenit lienem; somnum coercet, in iis præsertim qui rarius Thee bibunt: Cujus rationes explicat Consultissimus Tulpius (maximo Reipubl. nostræ & patriæ urbis ac eruditi orbis damno summoque meo luctu nuper fati fundus immortalis nominis senex) loco citando, à quò parum discrepat Cl. Piso in comment. ad Bontium. Corpora porro reddidit vegeta, imprimis autem hebetiores à somno ac torpore sensus expergeficit: Cor exhilarat, timoremq; propulsat; intestinorum tormina ac flatus compescit, illosque qui uterum infestant, discutit; viscera viresque roborat, reminiscendi vim excuscitat, ingenium acuit, bilem temperat; nephritidem tollit medicam hoc lithonripticum; ego saltem nunquam in Japonibus vel minimum Calculi, sive renum sive vesicæ, indicium reperi, sat sedulo licet inquisiverim; ac tandem dulces in amplexus vertit officium thori.

THES. III.

Venerandus senex Simonis Pauli commentario de abusu Tabaci & Herbæ Thee, plantæ hujus sablubritatem edoctus, cum Europæ nostræ abunde prospectum, illamq; sibi sufficere cum Beverovicio atq; Bartholino judicaret, id dedit operam, ne nos ad Zythum damnati videamur, sed domi nasci, quod Chinensibus invidemus, Chamæle-

agnum nostratem ipsissimum Cha Tartarorum, aut Thee Chinensium, imo esse verum Thee Europæum, & cum in arvis nostris pullulet, cujus causa tot subimus pericula, stultum esse mori ne moriamur ostendit. Unde operosus est ut attributa chamæleagni Germ. Post Thee Chinesi accurate, aut ad unguem examinatæ convenire constet. Verbis ceu penicillo ex scriptoribus Thee depingit dicendo: Thee esse herbam, sive fruticem quendam myrtiformem, aut myrto simillimum, foliis oblongis, acuminatis ac in ambitu crenatis, unciam quasi longis, latis dimidiam, vel magnitudine folia mali punicæ sive granatæ æquantibus, ex nigro viridibus, sed parvis in ambitu incisuris, in bellidis foliorum ambitu conspicuis similibus, sapore amaris, viridi colore quemlibet liquorem imbuentibus, quæ exsiccata nigricent, radice fibrosa ac in minimas particulas dispersa. Et cum Dodoneus in sua stirpium historia Chamæleagnum depingat tanquam humilem & exiguum fruticem, cubiti altitudinem raro attingentem, qui ramulos promat nonnullos: folia circa hos habeant latiuscula, oblonga, myrti foliis haud multum dissimilia, sed duriora & subinde longiora, totum fruticem cum gravitate quadam odoratum, præsertim semen & oleosam ejus pinguedinem, gaudentem locis incultis & ericastris aliquantulum aquosis & palustribus. Hinc collatis utrisque descriptionibus, utrasque congruere concludit, & Thee Chinensium nil aliud esse, quam nostratem vulgarem Chamæleagnum, constanter asserit. Et quamvis non omnia Chamæleagni folia crenata sint, ad lufum naturæ recurrit, quæ in Chamæleagni foliis teste Bauhino Pinac. L. II. sect. 4. variat, lusu variis plantis familiari, exemplo malvæ folio variantis Bauhini, Eupatorii Canadensis, foliis Enulæ Jacobi Cornuti, Lyfimachiae luteæ majoris minorisve, omnibus mire in foliorum formis ac numero ludentibus; cum nec omnia Thee folia, sed

sed solum inter ea majora crenata legantur. *Αυτόπτης* asserit se in sua botanototeca sibi servare Chamæleagni folia, quæ seu teneritudinem, seu magnitudinem, seu colorem, seu crenas spectes, omnimode Thee Chinesis foliolis similia sint. Licet Thee hilaritatem membrive conciliet alacritatem, ut, jungendo intempestas noctes solidis diebus, expediundis negotiis viri publico nati, suppare esse possint, chamæleagnus vero cerevisiæ remistus enormes creet capitis dolores. Appositè tamen optimarum rerum respondet esse quandam intemperantiam, cum & caput ab abusu vini Rubi Idæi doleat, ideoque tantillum saltem condimenti instar additum sine dubio eosdem exhibiturum effectus, observato commodo foliorum Chamæleagni colligendi tempore, cum nostræ regiones non multum à Tartarorum climate declinet, sustinet; nec obstare decantatam hujus fruticis præstantiam, cum etiam in Islandia rigidissimi coeli optima totius Europæ crescat angelica. Virium dum subit examen hyperbolen rhetoricam ait, quod folia Thee vitam ad extremam senectutem prorogare dicantur. Et verò cum Thee caput levare, vapores reprimere, adstringendi polere facultate, omnia totius corporis viscera roborare, calculum & somnolentiam pellere, excrementitios humores ejicere, podagram foras esse jubere perhibeant illis positus, ostendit easdem esse myrti ac chamæleagni vires & insuper aliis egregiis myrtum esse præditam comprobat. Quod Hippocrates de super foet. s. 3. in osculi uteri conniventia myrti folia viridua contusa in suffitu adhibeat, quodque *Galenus* 7. simpl. testetur, folia Myrti arida restringendi vim habere, tum foris imposita, tum intra supmtà in corpus. Idemque l. 2. de aliment. facult. c. 18. Tom. 2. Myrtum alvum sistere nec solum habere adstrictionem, sed acrimonia quadam admistam. Quod

Diosco-

Dioscorides *lib. 1. c. 156.* stomacho utilem & urinam ciere dicat, ejusdemq; autoritate constat, pariter atq; Thee dum esse generum. Græcos quando illorum capita meri potione tentata fuere, illa myrtea cinxisse corona, quam, quod vini exhalationes arceat, ebrietatis incommodis mēderi, ex Athenæo Deipnosophistarum *lib. 15.* refert. Myrtumq; nomen hoc accepisse, quod cerebrum sua fragantia quasi suffiat ac refocillet. Quibus ostensis tandem, quod quamvis non usq; adeò multa de Chamæleagno s. myrto brabantica, quam de vera, in commentariis veterum & recentiorum relata sint, illam tamen esse præstantissimarum virium, chamæleagnum similem esse myrto & succedere in veri myrti locum, aut ei surrogari, aut illius succedaneum esse posse, concludit; Omnibus in unum collectis argumentum format: *Quæcunq; forma & viribus conveniunt illa specie sunt eadem. Atq; Thee Chinensium & noster chamæleagnus forma & viribus conveniunt, E. illa specie sunt eadem, & per consequens minime inter se differunt, sed unius generis aut speciei suffrutices sunt, solum numero differentes.*

THES. IV.

Religio foret à Paulinis recedere placitis, nisi constaret meras sagacis ingenii esse conjecturas: Plenioris narrationis defectu, ita consummatæ eruditionis senex opinabatur, hinc manes ejus non indigne ferent, si supplemento adjutus proluxiori, & ego opiner. Folia utriusq; plantæ contemplaturus, meram advertere licebit dissimilitudinem. Chamæleagni haud multum dissimilia myrti foliis sunt folia, illis tamen subinde duriora & longiora; Thee verò substantia & toto habitu illis spireæ Theophrasti, teste Breyonio Cent. 1. plant. exot. c. 52. æqualia sunt. Illa Chamæleagni sunt quodammodo incana acceduntq; ad vitim Idæam fructicosam, vel ad parvam salicem; hæc Thee verò à virore pretium habent: in quibusdam saltem Chamæleagni

gni ferraturæ apparent; caules verò fruticis Thee à pede usq; ad verticem perpetuis foliis in ambitu crenatis ornate vestiuntur Pisoni, nec Tulpius, Bontius, Bryenius, hujus vertumni lusus meminere, nec icon manu artificiosissima Gvil. ten Rhyne ad vivum anno 1675. expressa, ut vel hoc suspicemur, permittit. Totus Chamæleagni frutex cum gravitate quadam odoratus est, ut ejus odor everruncandis inserviat animalibus; Theæ bonitatem grata fragrantia metitur. Botanothecam suam inscenam producit, *αὐτοψία* dissentientes, vel dubitantes convicturus; sola gravissimi hujus Botanographi autoritas ad persuadendum sufficisset, si debitis adminiculis adjutus fuisset; conjecturali huic autopsiæ genuinam veramve oppono. *Teneri tamen non possum, quin judicium meum exosculer, verba sunt Dn. Andr. Cleyers in literis ad Dn. Simonem Pauli Bataviæ datis, quod nimirum inter analogiam herbarum Thee & Chamæleagni magna sit differentia, quamqve mihi conscius sum, me posse factis prestare, prout mihi decretum est, veram & genuinam ejus plantam vestra Excellentia procurare è regionibus China & Japonia, quo facto non dubio, quin litera mea vim & efficaciam habitura sint ad persuadendum. Act. Med. & Phil. Hassn. Th. Bartholin vol. 4. obs. 1.* Quid? quod Chamæleagni exigui luteoli flores junctim spicativè prodeant; Thee verò Bontio sint albicantes, magnitudine, figura & colore, rosæ silvestri Europææ, excepto odore, simillimi; proferat flores Cisti foeminæ & Gossipii mediam faciem obtinentes (quorum illos rosæ Johan. Bauhinus *hist. Plant. Tom. 2. L. 13. C. 3.* hos malve J. T. *Tabernæmontanus L. 2. cap. 48.* assimilant) uberrimos quin foliolis albicantibus, aut pallidis, staminulis multis mediam faciem occupantibus, Breyonio. Chamæleagni extremis ramorum capitula, iis betulæ, si magnitudinem excipias, analogæ, veluti juli insident. Johan. Bauhinus *hist. Plantar. Tom. 1. L. 8. cap. 23.*

C

Quo-

Quorum, qui de Thee commentati sunt, non meminere. In Ericetis umbrosis nemorosisque salitibus fruticat myrtus brabantica; terram requirit Thee bonam, dulcem, non falsam, neque limosam, neque arenosam nimis, sed temperatam. Chamæleagni flosculis crebri seminum racemuli conferti ac spiculis quasi conflati succedunt; fructus autem Thee in singulis loculis, qui ordinario ternarium vix excedunt, semen tantum unicum continet, ut & in seminibus mera sit discrepantia. Levat Thee caput reprimiq; vapores, cum aliis notante Rhodio; Chamæleagnus impedit gressus, debilitatqve pedes, & crapulâ discussâ enormes capitis gignit dolores, ait Sim. Pauli *quadrip. botan. Class. 2. p. m. 44.* nec simile malum copiosissimus Ciæ potus produxit unquam, ita ut videatur hujus Ciæ nullam esse intemperantiam. Nostrum ab illorum non multum differat climate clima, sit Europa præstantissimarum plantarum mater, ea tamen omnia non necessariò debere, sed posse forsan in illa germinare Thee, evincunt; imo nec omnis fert omnia tellus, aliæ hujus, illis aliæ climatis solum ornant plantæ, quas alia depascunt animalia; Admiserint in laudanda Thea hyperbolem, quin tamen egregiarum sit virium, nec ipse diffitetur. Convenient omnes adstringendi vires myrto: gallæ quercus, sumach idem, agunt, hoc ipso propius ad Thee naturam accedentes, quod illorum tincturæ, æque ac illa Theæ, ab affuso vituolo in atramentum abeat, à quo tinctura foliorum myrti brabanticæ nullam aut exiguam recipit mutationem, observante J. N. Pechlino *Dial. de Pot. Thee p. 24. & 25.* Sed quis dixerit horum vires illarum Thee esse æmulas? Licet enim brabantica myrtus non omni careat adstrictionis vi, cum notum sit, quanta adstringendum sit diversitas, quis inde virium probabit analogiam, cum astringentes utriusque particulæ multum discrepent. Adstringunt rosæ rubræ,
cornu

cornu cervi ustum, vinum austerum, bistorta, alumen, &c. sed variantibus adstrictionis gradibus atque aliis virtutibus; Myrtæa corona Græcos capiti meri potione tentato succurrisse, author est Athenæus, subjungit autem oppidò, illos, cum compressu levarentur, vinculum esse doloris præsens auxilium intellexisse. Nec quæ horum rituum fuerit ratio adeò constat, ut plurimum enim vel levissimæ occasione, vel superstitioni suos debent natales. Ita myrto coronatas calendis Aprilis lotas fuisse mulieres; Græcorum musicos myrteis coronis redimitos amatorias cantilenas cecinisse; myrto coronatos ovantes Romam ingressos; Posthumium Tubertum de Sabinis triumphasse, ludos circenses spectasse Papyrium, in funeribus myrteam exhibitam fuisse coronam, memoriæ proditum est: non tamen ausim hinc de illius viribus quidpiam determinare. Quin imo ipsi botanographi, in deprædicandis herbarum virtutibus, nimis liberales esse solent, ut si illorum fide præcisè staremus, exiguus herbarum manipulus omnibus sufficeret morbis. Quæ omnia dum mente revolve, me firmiter concludere posse opinor. *Quacunque nec forma, nec colore, nec odore, nec floribus, nec seminibus, nec viribus conveniunt, illa specie non sunt eadem Atq. Thee Chinesium & noster Chamaleagnus nec forma, nec colore, nec odore, nec floribus, nec seminibus, nec viribus conveniunt E. specie illa non sunt eadem, & per consequens maxime inter se differunt, nec unius generis aut speciei suffrutices sunt solum numero differentes.*

THESIS V.

IN eo unanimiter consentiunt singuli, Theæ potum arce-
re somnum, & quidem teste Rhodio sine ullo insequen-
tis molestiæ sentu, ac si omnino non vigilasset, continuato
licet per sex continuas noctes experimento. Et verò decet
ut tutelares populorum Dii, cæteris vino somnoque se-
pultis

pultis Epaminundæ instar vigiles mœnia urbis perlustrent; cum Scipione Africano antelucanis horis excidium Carthaginis animo versent; Ad Aristophanis aut Cleanthis lucernam lucubrent oportet qui se musis devoverunt, huc lecti non quadrant Herculani, per noctes Endymion agat curas ut lunæ motum investiget. Et profectò cum vita brevis, ars longa sit, illaqve tanto brevior, quanto somnus mortis imago est prolaxior, huic quod derogamus, id illi largimur temporis, tanto majori industria cultui mentis operam daturi, quantò minùs corporis languor hujus officit functionibus, quibus cum nullo sanitatis dispendio Thee opituletur, mirandi hujus ac anxie optandi phœnomeni causas rimari animum induxi.

THES. VI.

EA est humana natura ut perpetua sit somni vigiliariumque vicisfitudo, virium à labore dispendium refarcit, quies, & quod caret alternâ requie durabile non est. Sensus & motus vigiliarum dicam proles, an signum sunt. Quando operamur vigilare dicimur, originem œconomia suppeditat animalis. Purpureus latex, venarum articularumve hospes inquilinus, perenni suo circulo dum alluit cor continuas constantissimâ lege subit fermentationes, & inde oppido omnibus corporis se infundit artibus, ubi intestino agitatae illius particulæ motu, à porosis articularum tunicis retineri nesciæ, illorum subeunt latifundia, illisque irrigatis, vel per aperta corporis spiracula, vix credibili dispendio, se proripiunt foras, vel per vasa lymphatica refluæ, fonti, unde manarunt, reaffunduntur. Subtilissima rubicundi nectaris pars angustos articularum cerebri subit mæandros, in cujus cavitates, quicquid continet spirituosum, eructat, quod spirituum animalium nomine, innotuit. Flos ille

ille sanguinis per nervorum tubulos in musculos determinatus suo influxu dum humorum tollit æquilibrium pro musculorum varietate stupendorum motuum author est. Idem dum nervorum ad organa sensuum protensorum subit funiculos eostendit, ut objecta alterum illorum extremum movere nequeant, quin ille motus ad cerebrum delatus in mente diversarum rerum excitet ideam, quod sentire dicimus. Adeò ut vigiliæ massam sanguineam spiritu hisce functionibus pares usq; actu suppeditare indicent. In poroso tamen & undiqve perspirabili hæc dum fiunt corpore, palam est, immenso huic dispendio sanguinis aliquot libras sufficere non posse, quin tandem in vappam abeat, & licet id quotidiana resarciant alimenta, temporis eger, ut crudiores chylum concoctiones sat faciant spirituosum. Pauperies spiritum obstaculo esse debet, quò minus modo memoratæ functiones animales exercentur; cessantibus igitur ad horas aliquot sensibus & motu dormimus, denuò statim atqve sanguis fuerit sat spirituosus evigilanturi.

THESIS VII.

SAle suo volatili oleoso quin Thea blandas in sanguine excitet fermentationes de eo dubitare non licet, & quamvis eadem incidendo sanguinem plures solito spiritus gignant, ut laboribus aliquandiu sufficere possint, illas tamen cum lassitudine profundus exipit somnus, miro sanitatis dispendio, ut etiam à Medicorum plurimis spirituosus potibus narcosis subesse audias; & à reliquis salibus volatilibus oleosis frustra quid tale expectaveris, imò si hoc modo vigiliæ fierent, vappa tandem succederet sanguinis & nullâ arte corrigibile caput mortuum. Commodum recordatus Thee modicè adstringendo viscera roborare, adstringentiumque operandi rationem paulo plenius

plenus intuitus, mirandi hujus phœnomeni videor invenisse rationem. Adstringentium nonnulla ad acidorum accedunt naturam, quorum particulae tubulos partium ingressae, tensas fibras rescindendo, faciunt ut in cincinnos ad instar chordarum resiliant, qui adjacentes occuldendo tubulos, humorum dum impediunt affluxum, adstringunt. In aliis verò adstringentibus cogitandum est prioribus longè dissimiles esse particulas, quæ videlicet, partium tubulis impactæ, ipsæ resiliant in cincinnos, uti videmus levi contactu, semine maturescente, eo excusso disfilire, vermiculorumque instar convolvi, siliquas herbæ, hinc denominationem Noli me tangere, sortitæ; qui unci adjacentes amplexi fibras tubulorum occludendo pariter adstringunt. Esse igitur in Thee adstringentes particulas una omnium commentariorum vox est. Prioris generis expungit grata, quam lingua deprehendit, amarities; posterioris verò utramque absolvunt paginam. Sangvini mistæ inque totum corporis habitum distributæ, nervorum ingrediuntur tubulos, quos, dum minus firmo contrahunt elatere, non in totum claudunt, sed fibras saltem sibi jungunt arctius, & tubulos angustant, illos strictiores paucior spirituum animalium copia æque replet, qui majori tamen eos rapiditate, propter angustias majores, ingrediuntur, atque ita omnes functiones animales, & quidem ob spirituum auctam rapiditatem, alacritate majori exequimur, imo longioribus sufficimus laboribus, quod jam multo minori spirituum damno operemur. Analoga adstrictione omnium vasorum tunicæ & in latifundiis partium tubuli roborantur, ut tanta non sit humorum prodigalitas, sed spirituum sit sangvinis promus condus. Cum quibus si concurrat sal Thee volatile, id blandas in sanguine excitabit fermentationes, ob quas paulatim magis rarefactus spiritus

tus

tus usque & usque suppeditabit, unde evidenter somnum compescat oportet nullo sanitatis detrimento; immensam quippe solummodo impedit spirituum luxuriam, & quicquid est crassi & terrestris in sanguine blandè corrigi. Sed si continuis inhiemus vigiliis, pertinaciæ illius poenas luemus, quippe attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes, licet enim longo spirituum incendio, rebus sic se habentibus, massa sanguinea sufficiat, tandem tamen deficiet, unde Rhodius factò per sex continuas noctes experimento lassum oppidò se factum sensit.

THESIS VIII.

Audias toto die hyperbolen sapere hoc elogium, & tantum abesse, ut somnum abigat Thea, quin potius illum procuret domestico ostendunt exemplo. Miramane res, eadem rem contrarios in nobis posse edere effectus, & nescio an desines, an incipies mirari, si dixerò, analogas esse particulas opii & Theæ, quæ somnum & vigiliis procurent, illasque saltem ut magis & minus differre. Videas videlicet opii TRam ab affuso vitriolo obscurari atque opacam fieri, illam verò Thee in atramentosam abire nigredinem. Opii sulphur foetidum incusant quibus narcotica medicamenti virtus suspecta; destilles Theam, oleum, quod cum illo tabaci foetore certet, obtinebis. Opii vim diaphoreticam extollunt universi, quorum nos de eo commentarios manibus versamus, ut se etiam expertum fateatur Joh. Walæus de Meth. Med. p. 65. Theriacam & Mithridatium, absque opio præparata, sudorem prorsus non movisse; & illa est quam tot encomiis in Theæ haustu extolli videas. Diureticâ suâ vi cacochymicum & hydropicum pristinae sanitati restituisse recenset Willis *Pharmac. rat. Part. 1. sect. 7. c. 1.*
circa

circa finem, eadem à Wilhelmo ten Rhyne in Thea tantopere extolli videas. Famosum Thea affirmatur lithontripticum, aliorum jam non loquar observationes, opii tincturam in dolore nephritico à Dn. Præsidente felicissime non semel adhibitam novi. Prolixus non ero in recensendis reliquis, in quibus conveniunt virtutibus, ne extra metas vager, id saltem digito ostendere animus fuit, hæc duo adeò ab invicem non differre, quin in pluribus conveniant, & huic saltem meo asserto inhærebo, vigiliam & somnum ab analogis ferè excitari particulis. Vigiliam videlicet fieri dixi quod nonnullæ Theæ particulæ nervorum tubulos ingressæ in cinnos resiliant, atq; suis cinnis, ceu totidem uncis, vicinis infixæ fibris, propter elaterem minus firmum, illas arctius jungant, & sic tubulos angustent, ut paucior spirituum animalium dissipatio diuturnioribus sufficiat laboribus. Sit illarum particularum elaterium firmiter, tum tubuli non angustabuntur, sed penitus occludentur, & quasi oppessulabuntur, unde spiritibus animalibus denegato influxu, dormiet corpus. Teneriorem solito habeat aliquis corporis texturam & fibras nervorum deliciores, licet particularum elater sit minus firmus, tennellæ fibræ tamen facilius sequentur, & sic eadem particulæ hujus tubulos oppessulabunt, alterius vero coarctabunt, seu quod eodem redit, huic somnum, vigiliam illi, conciliabunt. Imo non negarem ejusdem texturæ homines diversimode affici pro diversa sanguinis & humorum crassi, dum in tubulos illos angustatos à blandis Theæ fermentationibus, vel crassiusculæ protrusæ particulæ somnum, vel eadem subactæ, & incisæ vigiliam causantur.

THeæ volatile oleosum sal, (de quo vide sis tractatum de excellenti Herba Thee Excellentissimi Dn. Cornel. Bontekœ c. 16. §. 2. Serenissimi Electoris Brandenburgici, Domini mei Clementissimi, Archiatri, & doleo me eundem hæctenus ab aliquo tempore frustra quævisse, & jam demum, quando hæc sub proelo calebant, præter omnem spem accepisse,) copiosè & frequenter sanguini affusum blandas lenesve in illo excitat fermentationes, quâ intestinâ luctâ quicquid est visceri & crassipededentim inciditur atque attenuatur: Sanguine purificato inter dormiendum crassiusculæ nequeunt è poris plexus choröidei extrudi particulæ, quæ dum propter gravitatem in suo motu juxta lineam rectam esse perseverant, cerebro impressa rerum vestigia aperiendo, sopitos deludant sensus, variisq; menti imponant infomniis. Eadem particulæ attritæ & constractæ, dum spirituum distributioni vacat mens, in circulum amplius ire nequeunt, cessat igitur vorticosus spirituum motus, evanescit, vertigo: Ita purificatus sanguis nullas in cerebrum deponit particulas, quæ latifundia ejus perreptantes, spirituum motui officiant, & hoc est quod vapores à cerebro arcere dicatur malignos. Non finit igitur ut redundet in sanguine pituita, neque ergo deposita in cerebri substantiam vel coma, vel carum; vel cerebri ventriculis infusa, apoplexiam; vel à fermento febrili turbata, lethargum progenerabit: neque etiam tubulis impacta musculorum circulo humorum impedito aquas colliget, nullo vel ascitidis, vel anasarca metu: membranarum non oppressulabuntur pori, dum itaque liberè ex abdomine exspirant vapores longe abest tympanitis; absunt longè, dum idem in reliquis fit partibus, à flatibus

D

ori-

oriundi affectus; abest occasio quæ falsos in artubus sistit humores, quo in ipso ab arthritide articularumve præservamur doloribus. Et ut paucis multa, omnium à pituita & crassitie oriundorum affectuum Thea est præservativum.

THESIS X.

Blandè dum fermentatur sanguis, serum, quod renum alluit tubulos, solito majori percolatur quantitate, cui, ab iisdem fermentationibus in cavum abdominis extrusis vapores vesicæ subingressi poros juncti urinæ producant rivos; efficiunt eadem ut plures in tubulos partium deponantur humores quàm ut refluos eodem tempore lymphæ ductus absorbere valeant, qui foras pulsidos reddunt artus, hinc est quod diuresi & diaphoresi Thea celebretur. Cum urina Theæ tal volatile oleorum renes allapsam glutinosam, quæ arenulas compingit, pituitam paulatim dissolvit, dissolutam secum defert ad vesicam atque è corpore eliminat; si quas etiam offendat arenulas hoc glutine vel jam junctas, vel jungendas, glutino, nisi nimium jam induruerit, soluto, illas cum urinæ fluente ad matulam deducit, virtute omnibus salibus volatilibus, sed, imprimis oleosis, observante Franc. de le Boe Sylvio *Prax. med. L. 1. c. 45.* propria & familiari. Unde Thea famosum est lithonriptiticum, nec unquam in japonibus vel minimum calculi sive renum sive vesicæ reperitur indicium.

THES. XI.

Nec minores pollicetur diaphoresis effectus: sint enim in partibus solidis interceptæ humoribus viæ, ut musculorum stagnent latifundia, lateant in partium tubulis

lis peregrina' fermenta, cœerceant obserati pori corporis vapores, hæere faciant diversa salium genera, vel per omnem corporis habitum, vel in nonnullis ejus partibus, ita ut ab hydrope ejusque speciebus, asthmate, anginis pleuritidibus &c. notis, omnis generis febribus, arthriticis, vel universalibus vel particularibus, doloribus, scorbuto, catarrhis, diarrhæis, atque ex hoc fonte innumeris pullulantibus malis doleant ægri, suppetias iis feret Thea, quæ sangvinem purificando, obstructions deobstruendo, salia, quâ diuresi quâ diaphoresi, secum educendo, viscera roborando, omnem absolvet paginam. Dum hæc in corpore aguntur, quis non videt ita ritè omnibus ordinatis viros foeminasve majori alacritate in mutuos ruere debere amplexus, atque ita Theam dulces in amplexus vertere officium thori.

THESIS XII.

FRustra tamen esses, si illud vel à salibus volatilibus oleosis præparatis, vel herbis eo imprægnatis tibi promitteres, suas singula hæc salia sibi peculiare habent figuras, quibus & ab invicem, & ab aliis discernuntur. Figurarum diversitatem saporum docet variatio, eam, varii odores ostendunt, colores arguunt, oculique vel nudi, vel microscopio armati ostendunt, & ut jam taceam diversas præparandi rationes, unde quæso specificam illarum operandi vim deduceres? Habet igitur & sal Theæ hoc peculiare, quod per ejus poros æther, illi sangvinis nostri familiaris, trajiciat, quod ratione configurationis à nostri corporis pororum figurâ non abluat, quod sangvini & humoribus, licet in copia mistum, blandè illius saltem foveas fermentationes, à posteriori id confirmante experientiâ. Si botanicorum scrutamur

mur scrinia, agrimoniam partium tenuinum & adstringentem esse, chamædrin & marrubium cum sapore amaro aperire prædicant: Illa ab affusa vitrioli mixtura in atramentosum degenerat locorem, sed adstrictionis vel nihil, vel parum habet; harum prior, uti ab adjecto vitriolo virescit, ita alterius nulla nigredo. Virtutes harum herbarum leges esse, quod sint partium tenuinum, aperiant, adstringant, amaricent, qualia de Thea prædicantur. Sed modo memorata Pechliniana experimenta, ad oculum certè ostendunt texturæ diversitatem. Propius ad Theam accedit veronica experimenti hujus si habeas rationem, nam & ad vitrioli solutionem obscure nigrescit, amaricat & adstringit, sed nigredo ad illam Theæ non accedit, sapor non perinde amarus magis tamen adstringens ab Excell. Pechlino deprehensus est; adeo, ut hætenus Thea habeat aliquid proprium & reliquis negatum.

THES. XIII.

Vix menstrum aliquod reperias simplicius & purius, & ad varias recipiendas particulas aptius, ipsâ aquâ; talem intelligo, quam fundus vel aliud quid alienis non imprægnavit particulis, sed quæ ex solis constet aqueis, ut intra suos poros particulas, quibus eam imprægnare fatagimus, non immutatas recipere possit. Non igitur absque fonticâ causa & deliberato consilio, illi Theam infundunt Chineses, ut vehiculi instar ad angustissimos capillarum vasorum anfractus viribus integris ejus referantur particulæ. Reliqua, quibus nos Europæi pro potu utimur, liquida multis saturata sunt particulis, adeo ut aliàs adhuc uullas recipiant, aut, si quas receperint, illas immutent, vinciant, sepeliant. Intuearis omnis gene-

generis cerevisias, aquæ sunt variis particulis saturatæ, ita ut earum nonnullæ cibi potusve suppleant vices, non tot pagos quot saporum numerabis discrimina, nec ut sanitati, sed saporis gratiâ gulæ & suæ consulant crumene ejus coctores meditantur, unde quanta morborum fecunditas medicis notissimum. Vinorum, naturalia licet sint mista, ineptitudinem ad Theæ tincturam extrahendam, tot colorum & odorum saporumve produnt differentiæ, aliorum bonitatem color, aliorum odor, sapor aliorum indicant, quandoque verò vel omnibus vel neutro horum metitur; nihil dicam de colorum diversitate, cum ferè tot sint quot sunt vineæ, hinc vix verbis exprimendis reperias, exquisiti & immuni illorum saporum, morborum ab eo progeneratorum chiliades sole meridiano clarius ostendunt misti hujus particulas maximè esse activas, seu tales, quæ ratione molis & figuræ illas Theæ possint immutare, infringere, destruerè, adeoque vinum menstrum non esse aptum quod innoxie illius particulas sanguini miscere queat. Lactis non alia sunt fata, crassius est, quàm ut particulas extrahere possit, caseosæ & butyrosæ particule omnes feri occuparunt poros, ita ut Theæ particulis recipiendis non sufficiant. Habent illud præterea modo memorati liquores, quod massam sanguineam vel in crassent, vel nimis attenuent, vel varias in corpore obstructions gignant, jam illam acidam, falsam, austeram reddant, fermentationes illius vel augeant, vel suffocent, adeò ut hii liquores Theæ commodum nequaquam possint esse vehiculum, sed illis aqua quæ non sit COS seu expers Coloris, Odoris, Saporis præferatur merito.

THES. XIV.

Aquam calidam tinctura Theæ infectam toto die
 D 3 forbil-

forbillant Chineses, eiqve acceptam ferunt longæ vitam. Et certè si antecedentia rumer, cum illa ejus salubritatem me edoceant, illis maximam accedo partem, si huic potui reliquas res non naturales, quarum apud eos mira temperantia, jungam. Neque putem iners aquam esse vehiculum solummodò, contribuit etiam de suo aliquid, diluit videlicet sanguinem & diluendo temperat, calida dum est, promptissimè se omnibus insinuat poris, auctaque diuresi & diaphoresi, ut obstructa promptius deobstruantur, efficit. Nec me moratur quod plurimi alto supercilio aquæ calidæ potum, ceu vilem & vel bestiis invisum, contemnant, gulam, cujus sunt mancipia, non rationem sapit hoc quidquid est judicii. Plus ponderis illorum rationibus subesse videtur qui hanc disvadent hydropisiam, dum ventriculi reliquorumque viscerum relaxationem seu debilitatem, cachexiam & hydropem verentur. Sed res in salvo est, cum humidum quâ humidum in nostro corpore non noceat. Continuus fateor humidi allapsus ventriculi fibras relaxaret, nisi aqua foret calida, adeoque sine obstaculo sub forma vaporis è poris egrederetur, & illas Theæ adstringentes particule adstringendo roborarent. Nec hydropis metus de nihilo foret, si obstructions corporis vias humoribus & vaporibus intercluderent, atque exitu denegato retinerent: sed cum jam ostensum sit. Theam quâ diuresi, quâ diaphoresi referatis obstructionum repagulis humores educere, tantum abest, ut illius tinctura in corpore retineri possit, quin potius referatis poris & ipsa abit, & aliòs secum stagnantes ducit humores, & quo majori assumitur copiâ tanto majori operatur efficaciam

THES.

THES. XV.

AD finem propero, vereor enim ne orator potius quam philosophus, panegyricum magis scribere quam philosophari tibi L. B. videar. Ita hodie obtinuit, quum quis primum animum adscribentum appulit, id sibi negotii credit solum dari, populo ut placeant, quas facit fabulas, & in laudibus scribendis operam abutitur; Quamcunq; rem hodie explanare incipiunt, si fide illorum stes, panaceam credas oportet: faciunt nã intelligendo ut nihil intelligant, & obscura ista diligentia, agyrtis eos reddit similiores quam philologis. Talis non ero, licet enim persuasus sim saluberrimam esse Theam, & quæ non solum memoratis affectibus, sed aliis plurimis opitulari possit, omnibus tamen indifferenter commendare non ausim, novi namque tot esse temperamenta ferè quot homines, & quot non, occulta in corpore humano mala contrariæ naturæ latent? Nec putem Theam eandem nostri orbis illatam retinere efficaciam, quam in solo habent nethali, sed aucto pretio pretium illius aliquantisper imminui teneo. Salum & solum Chiniticum aliter temperant aërem, cum igitur nostro, id est sibi peregrino, aëri exponitur Thea, postquam jam bis perpendicularibus radiis exposita solis, & aliquandiu cum maris luctata exhalationibus est, quis illam aliquantisper destrui inficias ibit; Unde nec mirum Chinensium elogia hic locorum fatiscere. Sed licet illæ, quas adhuc retinet virtutes, illarum, quas habuit, saltem imagines esse videantur, tales tamen sunt, ut de iis tanquam cimeliis meritò nobis gratulemur.


FINIS.

Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to fading and bleed-through.

FINIS









(X261 8028)

7151







B.I.G.

Farbkarte #13

TATIO

1684, 1a

EE,

tatis Medicinæ

VIADRINA
SIDE

DO ALBINO,

ICINÆ DOCTORE,
UBLICO ORDINARIO,
IS MEDICINÆ
CANO,

RE AC PRÆCEPTORE
M COLENDO,
ANNI MDCLXXXIV.

coq; solitis
mini exhibebit

& R.
ELCHIOR Bengel/
Marchicus.

ad Oderam,
HORI ZEITLERI.

